

Die Urkunden Karls des Großen, 279

(C.) Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid enim locis venerabilibus concedimus vel confirmamus ob amorem domini et oportunitatem servorum dei, hoc nobis procul dubio ad aeternam beatitudinem vel remedium animae nostrae pertinere confidimus. Igitur conperiat omnium fidelium nostrorum magnitudo seu utilitas, qualiter nos ad petitionem venerabilis viri Ratgarii abbatii de monasterio Uulda, ubi ipse preciosus dominus Bonefatus in corpore requiescit, quod est constructum infra vasta Bochonia, tale pro reverentia ipsius sancti praeceptum visi fuimus concessisse, ut de villis aeclesiae domni Bonefati, servis etiam et colonis in illis manentibus, quas moderno tempore habere videtur vel quae deinceps in iure ipsius sancti loci divina pietas voluerit amplificare, habeat praedictus abbas successoresque eius potestatem decimas accipiendas propter aedificia perficienda vel restauranda luminariaque eclesiarum renovanda et ut nobis fidelibusque nostris, pauperibus quoque et peregrinis tempore susceptionis usus necessarios possint praebere, secundum id quod sancte regulae propositum adque mandatum iubet monachos in susceptione hospitum pauperumque omni hora semper esse paratos. Hanc vero praceptionem nostram superius intimatam ad ipso loco sancto concedimus adque imperpetuum indultam esse volumus, ut ibidem domino adnuente nostris et futuris temporibus proficiat in augmentis, quatenus ipsa congregatione pro nobis uxoreque nostra etiam et prole domini misericordia adtentius deprecari delectet. Et ut haec auctoritas firmior habeatur, manu nostra subter firmavimus et de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum (M.) Caroli gloriosissimi regis.

(C) Ego Heldebertus recognovi et (SE.). (SI. D.)

(C.) Data X kl. mai. anno Christo proprio imperii nostri XLII in Francia atque XXXV in Italia, inductione secunda; actum Aquisgrani; in dei nomine feliciter amen.